



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

§. 3. Formalitates extremorum, in ordine ad quæ sumitur ratio cognitionis
practicæ & speculatiuæ, assignantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

quæ ex modo tendendi practica esse possit perseverante chimæ impossibilitate.

31

Ad rationem dubitandi suprà adductam, respondeo, casu quo modò chimæ fieret possibilis, fore ut Deus posset chimæram producere ex vi assensus, quem tunc haberet circa possibilitatem chimæ, non verò ex vi alicuius cognitionis quam modò habet, ac proinde nunc nullam dari cognitionem in Deo, ex vi cuius Deus in aliquo casu posset producere chimæram, quia hæc debet esse actus quo Deus iudicat chimæram esse possibilem, qui repugnat dum chimæra possibilis non est, ut necessariò daretur in Deo, casu quo chimæra esset possibilis, quia repugnat in Deo falsum iudicium, & necessariò datur in ipso Deo verum iudicium de quocumque obiecto.

§. III.

Formalitates extremorum, in ordine ad quæ sumitur ratio cognitionis practica, & speculativa, assignantur.

32

Diximus rationem practici semper sumi ex principio, & obiecto, & non nisi ab utroque simul posse adequatè sumi, & ratione speculativi ab illorū quolibet posse adequatè sumi, & de facto ita adequatè desumi, licet nō repugnet desumi in aliqua cognitione ex obiecto tantum, & non ex principio, et si repugnet desumi ex principio & non ex obiecto. Ceterum cum in principio, & in obiecto sint quædam prædicata essentialia, aliā individua, superest sciendum à quibus prædicatis obiecti, & principij desumatur, ut possimus agnoscere an cognitio practica vel speculativa dicatur in ordine ad aliquod essentialē vel individuale principij vel obiecti, ex quo principio inferemus an ratio practici & speculativi sit cognitionis essentialis, necne, & quomodo hæc differentie opponantur.

33

Censeo rationem practici in quacumque cognitione nō posse sumi ab vno vel altero prædicato obiecti, sed necessariò desumendam esse ab omnibus formalitatibus quæ in illo sunt, à suprema ratione entis vsque ad ultimam differentiam individualem illius. Ratio est, quia ex parte obiecti cognitionis practica requiritur obiectum contineri in virtute productiva principij cognoscentis. Sed non sufficit contineri ratione prædicati specifici, sed necessum est contineri ratione omnium prædicatorum, ut cognitio terminata ad tale obiectum sit practica: ergo ratio practici desumitur in cognitione ex omnibus prædicatis quæ sunt in obiecto. Minorem probo: cognitio practica debet tendere circa obiectum quod physicè possit produci à cognoscente: sed eo ipso quod obiectum cognitum secundum aliquam rationem secum identificatam non continetur in virtute cognoscentis; non poterit physicè ab illo produci, quia ad hoc ut ego possim effectum producere non sufficit effectum non habere repugnantiam ex prædicato generico, aut specifico ut à me producat, si illam habet ex alio prædicato inferiori, quia eo ipso quod ex aliquo prædicato repugnet produci à me, nullā ratione potero illum producere; ut patet in cognitione Petri eiusdem speciei cum alia cognitione, quam ego produco de eodem obiecto, quæ præcisè ex prædicato specifico posset à me produci: sicuti producit propria cognitio; quia tamen ex prædicato individuali repugnat illam à me produci, absolute illam producere non possum: ergo ratio practici quæ importat obiectum posse physicè produci à cognoscente desumenda est ex omnibus prædicatis, seu ex omnibus formalitatibus, quæ in obiecto reperiuntur.

34

Ex ratione suprà dicta inferitur rationem speculativi posse sumi adequatè ex vno vel altero prædicato obiecti ratione cuius repugnet productio illius ab hoc principio, siue hoc prædicatum sit specificum siue individuale: exempli gratia, cognitio, quam ego habeo syllogismi qui potest fieri à Petro, & non à me desumit rationem speculativi ex ratione individua effectus, ratione cuius repugnat à me produci, & non ex ratione specifica, ratione cuius præcisè sumpta nō repugnat à me produci, quia alius syllogismus eiusdem speciei potest à me produci; cognitio verò, quam ego habeo de creatione Angeli, speculativa est ratione prædicati specifici, quia eo ipso quod talis actio in specie repugnat à me procedere, imò ex ratione generica creationis, quia eo ipso quod sit creatio, non potest à me neque ab aliqua potentia creata dependere, quapropter

prædicta cognitio ex ratione generica obiecti, videlicet ex prædicato creationis imbibito in obiecto adequatè erit speculativa, & similiter ex ratione specifica talis creationis, necnon ex prædicato individuali huius numero creationis, habebit rationem cognitionis speculativæ ex quocumque adequatè, quia quodcumque prædicatum sufficiens impedimentum est per se sumptum, ut obiectum huius cognitionis procedat tanquam è principio activo à principio cognoscente.

35

Vnum in hac rescire oportet, quod quotiescumque ratio speculativi desumitur ex aliquo prædicato superiori obiecti, ex omnibus illo inferioribus desumi necesse est: ratio est, quia quotiescumque actio ex prædicato generico repugnat produci ab aliquo principio, eandem repugnantiam habet ex differentia specifica contrahente tale prædicatum genericum ad certam speciem; & quotiescumque habet hanc repugnantiam ex prædicato specifico, eandem habet ex prædicato individuali, quia nequit prædicatum inferius contineri in virtute causæ, in qua non continetur prædicatum superius cum illo identificatum, nec potest dari virtus productiva Petreitatis, & non hominis, neque virtus productiva rationalis, & non animalis. Sic licet argui: cognitio desumit rationem speculativi ex prædicato specifico: ergo ex individuali, & similiter ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis: Cognitio non sumit rationem speculativi à prædicato individuali obiecti: ergo neque ab specifico: & sic de aliis.

36

Iam si rationem speculativi in ordine ad principium inspicimus, eodem modo de illa iudicium ferendum est, ac in ordine ad obiectum; potest enim desumi ex prædicato specifico, & ex prædicato individuali adequatè ex quocumque illorum & tantum ex prædicato individuali, & non ex specifico. Sic cognitio, quam habet homo de Angeli creatione eo ipso, quod est cognitio hominis est speculativa, quia implicat ab homine Angelum produci, & similiter eo ipso quod est cognitio talis hominis, eodem modo ac de ratione specifica & individuali dicebamus, & cognitio quam ego habeo de syllogismo, qui potest fieri à Petro, non habet ex prædicato specifico principij esse speculativam, quia aliud principium cognoscitivum eiusdem speciei mediā aliā cognitione specifica eiusdem speciei potest illum syllogismum producere, sed ex prædicato individuali principij cognoscentis, quod ex eo quod si talis homo non potest illum syllogismum producere, quem ex prædicato hominis præcisè sumpto non repugnabat ab illo principio produci.

37

Ultimò de ratione practici in ordine ad principium eodè modo iudicium fero, ac de eadè ratione in ordine ad obiectum; censeo enim desumendam esse adequatè ab omnibus prædicatis, quæ sunt in principio simul sumptis vsque ad ultimam differentiam individualem, quia hæc numero actio quæ est praxis, respicit hoc numero principium, in quo sunt contractæ omnes rationes superiores; Exempli gratia: hic syllogismus in quem fertur cognitio practica supponit hunc numero intellectum, in quo est inclusa ratio intellectui, & intellectum includit rationem viventis, & ratio viventis prædicata alia superiora vsque ad supremum genus. Ultimò quia ad hoc ut cognitio sit practica requiritur necessariò nullum esse prædicatum in principio cognoscente, ratione cuius repugnet obiectum ab illo produci: ergo ratio practici necessariò desumenda est ex omnibus formalitatibus, quæ sunt in principio cognoscitivum.

§. IV.

An ratio practici & speculativi sumatur ab extremis tantum tanquam ab extrinsecis specificativis vel etiam tanquam à constitutis per se.

38

Diximus iam rationem practici & speculativi desumi ab obiecto & principio, & explicuimus formalitates obiecti, & principij à quibus formalitates istæ desumantur, nunc superest sciendum, an ab eisdem formalitatibus desumantur prædictæ rationes tanquam ab specificativis tantum extrinsecis, ex quibus in ipsas cognitiones derivantur rationes intrinsecæ practici & speculativi, vel etiam tanquam à formis, ex vi quarum formaliter cognitio in ratione practica, vel speculativa constituitur, quod est idem ac inquirere, an ratio practici, vel speculativi sit adequatè